

membranacea & fere pellucida continent *semina* pauca subrotundo-reniformia.

CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, quinquedentatum; dentibus acuminatis, subæqualibus, fere longitudine tubi; tribus inferioribus patentissimis; superioribus duobus suberectis, & profundius incisus.

COR. papilionacea.

Vexillum subrotundum, emarginatum, amplum, patentissimum.

Alæ duæ, oblongæ, obtusæ, carinæ appressæ, vexillo breviores, unguibus tenuibus.

Carina oblonga, obtusa, adscendens, vexilli longitudine.

STAM. ut in char. Linn.

PIST. ut in eodem: at Stigma obtusum, villis circulariter ciliatum.

PER. ut in eodem: at ex obovato subrotundum, obtusissimum cum brevi acumine, & futura utraque æquali.

II. CREPIS (*chondrilloides*) foliis pinnatifidis; laciniis linearibus, numerosissimis.

Hanc

Hanc etiam plantam, in littorali Austriaco indigenam, eidem clarissimo Mygindo debet hortus Botanicus. *Radix* perennis, e semine sata, altero vel tertio demum anno *caulem* profert ramosum, erectum, angulato-striatum, scabrum, foliis superne ad ramos linearibus & integerrimis ornatum. *Folia radicalia* sunt semipedalia vel longiora; ad costam fere usque pinnatifida; *laciniis* linearibus, glabris, acutis, plus minus pollicaribus, integerrimis vel & ipsis pinnatifidis, longitudine inæqualibus, valde invicem vicinis, hinc numerosissimis. *Folia calycis* in dorsi convexa parte instruuntur pleraque ferraturis spinulosis minimis. Eorundem latera membranacea, magis minusve villosa, & incana, introrsum trusa sulcos formant in calyce communi. *Corolla* flava magnitudine & figura convenit cum *Leontodonte Taraxaco*. Petalorum interdum dens lateralis aliquis dividitur vel ad usque tubum corollulæ, ut lacinia exsurgat linearis & tenuis, videaturque pars reliqua esse corollula quadri-dentata. *Semina* nitida, fusca, tres lineas longa, coronantur *pappo* niveo, ad oculum nudum simplici, qui spectatus armato pinnulas laterales exhibet minimas; quæ res eadem in plerisque pappis simplicibus obtinet. Floris characterem observavi sequentem.

CAL. Communis oblongus, fulcatus, persistens: squamis plurimis, parallelis, lanceolato-linearibus, acutis, concavis, æ-

qualibus, crassiusculis, in submembrana-
cea latera attenuatis; auctis ad basin squa-
mis paucis, a duabus ad quatuor, brevibus,
tandem emarcidis; nec deciduis.

COR. Composita calyce duplo longior; cæ-
terum cum propria similis characteri Lin-
næano.

STAM. ut in eodem.

PIST. ut in eodem.

PER. nullum. Calyx immutatus.

SEM. folitaria, oblonga, striata, superiora
versus attenuata, coronata Pappo sessili,
simplici, denso.

REC. nudum, planum, scabriusculum.

12. **LYCOPODIUM** (*dichotomum*) dichoto-
mum; foliis integerrimis, sparsis; spi-
cis foliosis.

Convenit hæc planta non male cum illa,
quam icone A. tabulæ 166. expressit, nulla
addita descriptione, Plumierus in *Filicibus*
Americanis, si non essent folia multo longio-
ra in Lycopodio meo. Est autem perfecte
dichotomum, diffusum, ramosum, suberectum,
& pro varia ætate semipedale vel bipedale.
Folia, quæ dense & sparsim totam plantam
occu-